DE INEFFABILI TRINITATIS MYSTERIO ORATIO HABITA IN SACELLO PONTIFICIO ... AB...

Girolamo Spinola, Valenti Gonzaga



Sanctissimo Domino Nostro

CLEMENTI XII.

PONTIFICI MAXIMO

HIERONYMUS SPINULA

FELICITATEM.



Es *mihi duas & factu difficiles, & periculi plenas,* BEATISSIME PATER, *proponi intelligebam, cum de Augustissima*

TRINITATE *dicere, & quam de ineffabili Mysterio orationem haberem, inscribere Tibi, & offerre per summum mihi decus committebatur. Facturus etenim uni ex difficillimis rebus satis, ægre ab alterius difficultate mihi poteram præcavere, neque integrum erat huic prospicere, quin prima recurreret: quare ea, quæ vix poteram dissociare, animum aliquando induxi meum, ut opportune componerem. Factum inde est, ut de Deo dicturus sponsam ejus Ecclesiam ab illius fide pulcherrimam collaudarem. Tibi verò hanc sistens orationem pro tuis Ecclesiæ regimini admotis virtu-*

tibus

tibus gratias Deo agerem, quoad possum, amplissimas: Unde enim, nisi ab Deo tuam illam plane incredibilem beneficentiam repetam, per quam munificentissimi sumptus in usus optimos eroganturt? Unde veræ, & Catholicæ Religionis servandæ studium singulare? Unde prudentiam, fidem, & admirabilem sanè justitia non discrepante clementiam? Divino igitur plenam consilio tuam hanc senectutem totius boni Auctor felicem, atque diuturnam faciat; neque me tantum ad tuos pedes provolutum audiat, sed optatissimam in Te felicitatem Urbis votis, ac Chri-

ſtianæ Reipublicæ effuſis ex animo precibus benignè indulgeat, & diù, multumque concedat.

ORA-



ORATIO.



UGUSTISSIMÆ TRINITATIS fides, BEATISSIME PATER, cum in omni vitæ curſu Catholico cuique maximè ſit ſalutaris, tum hujus diei, loci hujus, ac noſtræ Orationis adeo eſt peculiaris, & propria, ut ſi unquam aliàs, quod certè ſemper, hodierna tamen hac luce Trino, atque uni Deo acceptiſſima eſſe videatur. In hac enim Religionis arce de tam excellenti Myſterio habendus eſt ſermo, quod meditari ſane non poſſumus, quin meminerimus conſtantiam fidei, atque ejus integritatem cum Apoſtolicæ Sedis origine, & firmitate ita eſſe conjunctas, ut quæ ab infe-

inferorum poteſtate nulla queunt ratione divelli, neque debeant in noſtra Oratione diſſociari. Et ſane ſi id temporis memoria recolam, cum primum fauſtiſſima Eccleſiæ jacta ſunt fundamenta; generoſiſſimæ ſimplicitatis virum cum Deo ipſo ſic colloquentem invenio, ut in iis vocibus, *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi*, Apoſtolorum Principem, Fidei Conſervatorem, ac inſtituendæ Caput Eccleſiæ deſignatum eſſe comperiam. Quæ enim Oratio tanta poterat inveniri, quæ ab divinis auribus gratiſſimè primum acciperetur; deinde haberetur talis, quam caro, & ſanguis non revelaverit, ſed Pater, qui in Cælis eſt, niſi ea, quam Columbæ Filius profitebatur? Illius ſcilicet Columbæ ſpiritu loquebatur afflatus, quæ ad Jordanem Trinitatis myſterium primò viſa eſt perhibere; vel quæ aliquando coactis in unum Apoſtolis eam mentem injecit, ut univerſas Gentes per terrarum orbem longe lateque diffuſas in unitatem Fidei Trinitatis nomine convocarent.

Mat. 16. — *Ibidem.* — *Hieron. in Mat. 1.* — *28. Mat. 19.*

At quemadmodum in deſerto ſitienti populo aqua fluxit e petra, ita univerſo mundo perfidiæ ariditate prope jam labefacto de ore Petri fons ſalutiferæ confeſſionis emerſit. Hauſimus ex hujuſmodi fontis perenni-

Maximus Taurin. in natali SS. Petri, & Pauli.

rennitate eam Fidem, quam duodeviginti ab hinc ſæculis Spiritus Sancti voluntate conſcriptam accepimus, quam Sanctorum Patrum teſtimoniis declaratam, & Summorum Pontificum auctoritate munitam, unam, & Apoſtolicam credimus, præterea nullam. Proh egregiam fidem, Deus immortalis, & ſperandæ demum in te felicitatis præclariſſimum argumentum! Hæc ne deficeret, oravit Patrem Unigenitus Filius, & ne portæ inferi prævalerent adverſus eam, non tam ipſe verbo conſtituit, ſed & pollicitus eſt perpetuæ ejus tutelæ Paraclitum fore affuturum. Quali igitur ſpe rivulos ſuos conſectati aquæ vivæ fontem dereliquerint perditiſſimæ mentis homines, ut inani prorsùs doctrinæ indulgerent? Oblatrarit Arius contra conſubſtantialem Filii dignitatem, adverſus Spiritum veritatis impuriſſimo ore, oblocutus ſit Macedonius, & de hujuſmodi grege, quotcumque ſunt, viri profani per ſummum ſcelus ab divina inſtitutione deſciverint: contra integerrimam Trinitatis fidem nihil magis certè profecerint, quam ut ab Eccleſiæ ſinu ejicerentur, & ab Fidelium communione turpiter exularent. Verùm id commodi præter eorum voluntatem nobis acceſſiſſe ex iniquiſſima labe intelligimus, quod

15. Joan. 16

2. Jer. 13.

ma-

1. Corin. 11. 19. maximum testatur Apostolus, nam *oportet hæreses esse, ut qui probati sunt, manifesti fiant in nobis*. Magna est enim vis veritatis, quæ

Hilar. lib. 7. de Trin. cum per se intelligi non possit, per ea tamen ipsa, quæ ei adversantur, elucet.

Hactenus erga individuam Trinitatem de constantia fidei, & integritate post institutam Ecclesiam gratulati sumus in Domino. Nihil verò omnipotentem Patrem Unigeniti Filii nomine adhuc usque rogavimus, tametsi suis verbis animos nobis addat Re-

Joan. 16. demptor noster, *petite, & accipietis*. Quid igitur in eximia hac Celebritate petam, per quam cæteroquin facilis nostris precibus, & plane commodus ad Augustissimam TRINITATEM est aditus? Non aliud certe, nisi ut tranquilla pace fruatur Ecclesia, ad Fidei defensionem paratas vires suas, ac promptas habeant Catholici Principes, maneant in fide populi, & universi orbis una sit Fides mentium, una Pietas actionum. Quod si sub uno Pontifice militans hæc Ecclesia triumphanti illi quàm simillima haberi potest; hoc unum quanta maxima animi devotione valeo; tanta ut in omne tempus habeatur, rogo æternum Patrem, Unigenitum Filium, & qui ab utroque procedit, Spiritum Sanctum.

FINIS.